

ECCLESIASTICAE ET SAECVLARIS POTESTATIS CONTENTIO

In laudem Serenifs. & Reuer.mi Principis

FERDINANDI

ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS

SAC. ROM. IMP. PRINCIPIS ELECTORIS, &c.

METRIS HARMONICIS CONCINNATA.

DVM FRIDERICVS HILLEBRINCK

Collegij Germanici & Hungarici Alumnus

Philofophicas Thefes propugnaret in aula eiufdem Collegij Maxima, Anno MDCXXXVI.

Menfe Die Hora





R O M AE,

Typis Francifci Corbelletti. MDCXXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

SAECVLARIS POTESTAS SERENISSIMVM PRINCIPEM AVITAE NOBILITATIS COMMONITVM AD ARMA INVITAT.



VM martiali soluitur impetu
Germana tellus: dum violentior
Bellona desæuit flagello,
Et facibus Furiæ minantur:
Depone sacras impiger infulas
O fortis Heros: relligiosiùs
Tractantur enses, qui periclum
A iugulo Pietatis arcent.

Res nulla Cælo sanctior: & tamen
Contrà superbos fulmina concutit;
Fronteſq; fracturum Potentum
Fatidicos agitat cometes.

Inseruit aris, thuraq; concremat
Assuetus Ignis lambere victimas:
Sed promptus ad vulnus minatur,
Pyramidis gladijq; forma.

Non sola pacis munera contulit
Auita virtus: sed fera, Palladis
Miscens Oliuo bella, fortes
Pacificosq; dedit nepotes.

Qui ducit ortum sanguine regio,
Regale pectus seruet in arduis;
Vitamq; discat martialem
In trepidis agitare rebus.

O quàm decoro perlita puluere
Frons illa sordet, quæ diademata
Deponit, & crines coronat
Casside, purpureisq; cristis!

Caliginosi nescia carceris
Vera recludit limina gloria:

Tutumq; calcatos per hostes
Pandit iter generosa virtus.
Tu stirpis ingens B A V A R I C AE *decus*
Cur hanc arenam pacis & otij
Non spernis, vt maior feraris
Pulverulenta per arua Martis?
Distringe ferrum: sentiat vltimis
Egressa terris Gens, tua vulnera.
Quis non litatos dicat hostes,
Qui manibus cecidere sacris?
Effunde in agros agmina militum:
Dispone turmas: da lituis sonum:
Exolue vexillum; tuisq;
Te duce frigida cedet Arctos.
Pugnas in hostes consilio satis,
Cum tu Senatu Cæsareo frequens
Ostendis, hostem posse mentis
B A V A R I C AE *dare terga telis.*
Nunc adde fortem consilijs manum:
Partumq; neruis ingenij decus
Firmetur armis, hostiumq;
Relliquias preme iam fugaces.
Hos ipsa fasces anteferam tibi;
Apparitoris sedula munere
Defungar; obstantes cateruas
Disiiciens rigida securi.
Hæc militaris te clamys induat,
Ferroq; thorax impenetrabilis:
Te cassis hic cingat, nec vlla
Hic clypeus violandus hasta.
Vibratus ensis Iustitiæ manu
Det non minori pondera dexteræ:
Astræa terris tu futurus
Incipies dare iura ferro.
Proh qualis inter bella minantia
Fulgebis armis Aeacides nouus!
Spectandus in castris, Achilles
Robore, Consilioq; Chiron!

P O-

POTESTAS ECCLESIASTICA EVNDEM AB ARMIS REVOCAT, ET CVLTVI PIETATIS ADDICIT.



ISTE iactatas furijs phalanges
Marte sectari duce: Quin ad aras
Bella disponis meliora? gressus
(Hoc age) siste.

Templa pro castris Pietas recludit:
Hostiam sancto parat immolandam
Igne, non hostem; gelidi Trionis
Qui colit oras.

Arma, quæ lædunt, lacbrymæ, precesq;
Offerunt: hæ dum superos fatigant,
Edomant terras, feriuntq; cæcos
Eminus hostes.

Dum Fides pectus clypeo tuetur;
Charitas tormenta regens, & imam
Cordis expugnans violenter arcem,
Vim facit astris.

Integrum pectus, scelerisq; purum
Non eget ferro: satis est, in illud,
Si, quod extillant superi, beatum
Depluat aurum.

Sæpius cælum tonitru minatur,
Quàm suos fulmen iaciens in hostes
Inferat vulnus: sed amanter antè
Vulnerat aures.

Corde pugnandum: superos lacessat
Cordis interpres Pietas, priusq;
Fulmine armorum, tonitru precantis
Sentiat hostis.

Nemo Romanis Aquilis solutis
Visus hostiles agitare turmas

Tutiùs,

Tutiùs, quàm si petijt Gabino
Prælia cinctu.

Talis Hebræus stetit inter arma
Ductor: vt fractas acies suorum
Vidit, elatis inimica perdens
Agmina palmis.

Sensit vt quondam gelidis ab oris
Hostis egressus, quatiens flagellum
Regis æterni, pietate vinci
Numinis iram.

Iamq; Romanis violentus agris
Imminens, sacri fremitum Leonis
Fugit, & cælum didicit precando
Attila frangi.

Quis recens nolit memorare factum,
Martis antiqui superans triumphos!
Cuius aggestis monimenta seruat
Praga trophæis?

Signa iam soluunt populi rebelles
Omine infausto; gemat in frequenti
At licèt campus numero, laborat
Irritus ardor.

Nempe Romanas Aquilas tuetur
Signifer cælo nouus, & beatum
Explicat signum Crucis, vnde mortis
Fulmina vibrat.

Sic leuis turbæ fuga perduellis
Arma testatur meliùs rotari,
Lapsa quæ cælo, Pietatis vna
Cote nitescunt.

Ergo age Antistes (Sacra Te Potestas
Hortor); hoc vnum precibus labora,
Vt ferat belli seges innocentis
Munera Pacis.



POTE-

POTESTAS SAECVLARIS Ecclesiasticæ Potestati fasces supponit.

Potestas Eccles. cum tribus ministr. Potestas sæcularis cum tribus Lict.

Prim. min. sac.



GE fama, quæ volatu
Cuncta lustrans regna terræ
Vsque ad astra tolleris,
Cane nostra iam trophæa.

Secũd. min. sac. *O fama tuis huc age pennis.*
Prostratos hostes, debellatasq; Phalãges
Tu sola potes celebrare satis:
O nobilium Dædala laudum
Pande nostros iam triumphos.

Tert. min. sac. *Præuerte ventos Fama celerrimos,*
Zephirosq; vince cursu,
Et nobiles victorijs
Fronde læta cinge frontes.
Vicimus, Io.
Generosas cane pugnas, cane palmas.

Tres simul. *Vicimus, Io.*
Cane nostra iam trophæa,
Pande nostros iam triumphos,
Generosas cane pugnas, cane palmas.

Potest. Ecclesiast. *Pietas vicit: cedite terris,*
O qui Belligero furore Martis,
Regaliq; satellitio, gazisq; superbis
Esse victores didicistis armis
Ad vestra edocti deducere flagra rebelles.

Eadem cum trib. minist. *Qui pugnat precibus, victor is est:*
Cui crux anteuolat, laurea stat:
Et mors ipsa, Dei victima fit.

Primus lict. sæc. *O nos miseros! ruit infelix*
Nostra potestas.

Secund. lict. sæc. *Nos perditos! regnum cadit.*
Quod stetit armis.

Tert. lict. sæc. *O ruinam! nostra fortis*
Regia nutat.

Tres lict. simul. *Lacbrymetur ocellus, amet tenebras*

Ma-

Mœstitia cadens cor.
Ite oculi in lacbrymas; in tenebras cor abi.
Dolor esto malis par;
Queruliq; cordis ardor
Medicina sit.

Potest. sæcul. *Sat lachrymis, mœstisq; datum sine fine querelis.*
Fida turba pelle questus. Ite luctus: ite lachrymæ.
Sacra vicit si Potestas, laureamq; fronte gestat,
Debet ista palma victis non minoris esse gaudij:
Qui scit victori cedere, victor erit:
Geminos habens triumphos,
Dum se superat, vincit & hostem.

Prim.min. sac. *Pone signa jam superba:*
(Pietas imperat) exue signa.

Prim.lict.sæc. *Signa ponimus superba;*
Pietatis imperantis
Esto trophæum.

Secund.min.sac. *Dimitte clara nomina*
Et magnificos desere titulos.
Sic Deus vrget.

Secund.lict.sæc. *Insigne nomen ponimus,*
Titulosq; sic volentes
Immolamus Numini.

Tert.min.sac. *Consulares linque fasces;*
Consul vnus Christus est.
Illos ad solium Christi suppone curule.

Tert.lict.sæc. *Et consulares ponimus*
Hic quoque fasces.
Regnante Christo Consule
Decus est ingens ponere fasces.

Potest.sæcul. *Ite fasces: ite signa,*
Tituliq; mei iam procul ite:
Vicit Pietas Numinis hostes.
Cedat Potestas Regia:
Fasces, & tituli, signaq; abite procul.

Omnes simul. *Vicit Pietas Numinis hostes.*
Cedat Potestas Regia:
Fasces, & tituli, signaq; abite procul.

FINIS.

Mœstitia cadens cor.
Ite oculi in lachrymas; in tenebras cor abi.
Dolor esto malis par;
Queruliq; cordis ardor
Medicina sit.

Poteſt.ſæcul. *Sat lachrymis, mœstisq; datum sine fine querelis.*
Fida turba pelle questus. Ite luctus: ite lachrymæ.
Sacra vicit si Potestas, lauream q; fronte gestat,
Debet ista palma victis non minoris esse gaudij:
Qui scit victori cedere, victor erit:
Geminos habens triumphos,
Dum se superat, vincit & hostem.

Prim.min. ſac. *Pone signa iam superba:*
(Pietas imperat) exue signa.

Prim.lict.ſæc. *Signa ponimus superba;*
Pietatis imperantis
Esto trophæum.

Secund.min.ſac. *Dimitte clara nomina*
Et magnificos desere titulos.
Sic Deus vrget.

Secund.lict.ſæc. *Insigne nomen ponimus,*
Titulosq; sic volentis
Immolamus Numini.

Tert.min.ſac. *Consulares linque fasces;*
Consul vnus Christus est,
Illos ad solium Christi suppone curule.

Tert.lict.ſæc. *Et consulares ponimus*
Hic quoque fasces.
Regnante Christo Consule
Decus est ingens ponere fasces.

Poteſt.ſæcul. *Ite fasces: Ite signa,*
Tituliq; mei iam procul ite:
Vicit Pietas Numinis hostes.
Cedat Potestas Regia:
Fasces, & tituli, signaq; abite procul.

Omnes ſimul. *Vicit Pietas Numinis hostes.*
Cedat Potestas Regia:
Fasces, & tituli, signaq; abite procul.

F I N I S.